



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. II. Ordo Prædicatorum, per S. Dominicu[m] institutus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

to. Sed & Carmelitæ Discalceati, Patrum memoria, per B. *Teresiam* virginem Hispanam, ad veteris disciplinæ cultum excitati, magno animarum zelo, in vtramque Indiam, atque ipsam Persiam penetrarunt. In qua quidē Persiæ prouincia sedulam quoque Euangelicæ prædicationi operam nauant. Augustiniani Eremitæ; vt Franciscani potissimùm in Syria, Aegypto, Græcia, alijsque Turcici Imperij prouincijs præstant.

CAPVT II.

Ordo Prædicatorum per S. Dominicum institutus.

Dominicus Calarogæ in Hispania, ex nobili Gusmanorum familia natus, Palentię liberalibus disciplinis & Theologiæ operam dedit: quo in studio cùm plurimùm profecisset, prius Vxonensis Ecclesiæ Canonicus regularis, deinde ordinis Fratrum Prædicatorum auctor fuit. Huius mater grauida sibi visa est in quiete continere in aluo catulū, ore præferentem facem, qua editus in lucem orbem terrarum incenderet. Quo somno significabatur, fore vt splendore sanctitatis ac doctrinæ eius gentes ad Christianam pietatē inflammarentur. Veritatem exitus comprobauit: id enim & præstitit per se, & per sui ordinis socios deinceps est consecutus.

Huius autem ingenium ac virtus maximè enituit in euertendis Albigensibus hæreticis,
qui

qui perniciosis erroribus Tolosates peruertere conabantur. Quo in negotio septem consumpsit annos. Postea Romam venit ad Lateranense Concilium cum Episcopo Tolosano, ut ordo, quem instituerat, ab Innocentio tertio confirmaretur. Quæ res dum in deliberatione versatur, *Dominicus* hortatu Pontificis ad suos reuertitur, ut sibi regulam deligeret. Romam rediens, ab Honorio tertio, qui proximus Innocentio successerat, confirmationem ordinis Prædicatorum sub regula sancti Augustini impetrat. Romæ autem instituit monasteria, alterum virorum, mulierum alterum. Tres etiam mortuos ad vitam reuocauit, multaque alia edidit miracula, quibus ordo Prædicatorum mirifice propagari cœpit.

Verùm cum eius operâ ubique terrarum monasteria iam ædificarentur, innumerabilesque homines religiosam ac piam vitam instituerent Bononiæ anno Christi ducentesimo vigesimo primo supra millesimum, in febrim incidit: ex qua cum se moriturum intelligeret, conuocatis fratribus & alumnis suæ disciplinæ, eos ad innocentiam & integritatem cohortatus est. Postremò charitatem, humilitatem, paupertatem, tanquam certum patrimonium eis testamento reliquit fratribusque orantibus, in illis verbis, *Subuenite sancti Dei, occurrite Angeli, obdormiuit in Domino, octauo Idus Augusti: quem postea*

1221.

stea Gregorius Nonus Pontifex retulit in Sã-
ctorum numerum.

Historiam ordinis Prædicatorum varij
scripsere, præsertim lingua Hispanica: qui-
bus in regnis is ordo potissimum floret, &
primas inter ceteros quodammodo obti-
net.

De initio eiusdem ordinis Geraldus Le-
mouicensis, ad B. Humbertum V. Magistrũ
Generalem Latinè scripsit: quem librum
gaudemus à Dominicanis fuisse typis publica-
tum Duaci anno 1619. hoc titulo: *Vitæ fra-
trum Ord. Prædicatorum, à Gerardo Lemouicensi
antè annos 300. conscriptæ.*

Eiusdem ordinis Chronicon, & Bibliothe-
ca de Scriptoribus Dominicanis, exstãt Pari-
sijs anno 1585. edita, auctore Antonio Senen-
si Lusitano.

CAPVT III.

*De festo sanctissimi Rosarij B. Virginis
Mariae.*

CVm Albigensium nefaria hæresis, sacro-
sanctæ matris Dei dignitati potissimum
infesta, in regione Tolosatium impiè grassa-
retur, Dominicus, qui eo tempore Prædicato-
rum Ordinis fundamenta iecit, diuino incen-
sus ardore, Tolosam ad debellandos hæreti-
cos, & fidem Catholicam propagandam se
con-